

species corporum : hinc illas tertiâ Med.  
recenset , has in Physica non item.

## EXERCITATIO XIX.

*An possimus ideam habere alicujus rei quæ nec est,  
nec esse potest.*

1. **P**Utavit idem Vir eximius se meam  
responſionem (quòd contradic-  
tionem implicet, aliquid esse vice, loco alte-  
rius, pro altero, nisi illud alterum sit for-  
maliter tale, aut certè esse possit formali-  
ter tale, nam eminenter tale, ad mini-  
mum, actu semper esse debet) sic posse  
infirmare, quòd sæpius dicamus archite-  
ctum non posse perfectè imitari formu-  
lam quam mente concepit, ut nec vir pru-  
dens attingere unquam valet eam perfe-  
ctionem, quam quidem pro actionum  
suarum regula & norma, animi cogitatio-  
ne sibi proposuerat.

2. Ut vim argumenti, quod pluribus  
venit in mentem, rectiùs capias, nota, i-  
deam in animo architecti pro objecto,  
mensura & exemplari habere ædificium  
exstruendum, quod ædificium cùm ab idea  
deficiat ( utpote quæ multò pulchrius at-  
que elegantius quid repræsentat quàm  
manus